



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

Bibliothèque

de la Faculté de Médecine

Asia 9205.70.5

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY



FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIA NT

MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST

MDCCCC

GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE

E.H.O. 1900

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
IN TWO VOLUMES
BY NATHANIEL BENTLEY
OF THE BARR

VOLUME II
CONTAINING
THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
IN TWO VOLUMES
BY NATHANIEL BENTLEY
OF THE BARR

DE LOCIS SANCTIS

quæ perambulavit

ANTONINUS MARTYR

circa A. D. 570.

Nach hand- und druckschriften
mit bemerkungen

herausgegeben von

Titus Tobler.



St. Gallen.

Verlag von Huber und Comp. [*J. Fehr.*]

1863.

Asia 9205.70.5

Harvard College Library
Plant Collection
Gift of J. Randolph Coolidge
and Archibald Cary Coolidge
Feb. 26, 1900.

I. Cyprus, Antaradus, Tripolis, Byblos, Tricris, Berytus.

Procedente beato Antonino Martyre una cum collega suo, ex eo quod civitatem Placentiam egressus est, in quibus locis ²sum peregrinatus, vestigia Christi sequi cupiens, et miracula prophetarum pervidere, edicere curabo.

Ita exeuntes de Placentia Constantinopolim venimus, de qua egressi venimus in insulam Cyprum, in civitatem Constantiam, in qua requiescit sanctus Epiphanius: civitatem pulchram et delitiosam, ornatam palmis dactylorum. Deinde venimus in partes Syriæ, in insulam Antaradum, et inde venimus in Tripolim Syriæ, ubi requiescit sanctus Leontius, quæ civitas tempore Justiniani imperatoris subversa est terræ motu cum aliis civita-

tibus. Venimus exinde Byblum, quæ et civitas cum hominibus subversa est; item in civitatem Trierim, quæ et ipsa subversa est similiter. Deinde venimus in civitatem splendidissimam Berytum, in qua nuper fuit studium litterarum, quæ et ipsa subversa fuit; dicente nobis episcopo civitatis, cui cognitæ fuerant personæ nominatim, exceptis peregrinis, triginta millia ad breve misere hic perierunt. Ipsa civitas jacet sub montana Libani.

II. Sidon, Sarepta, Tyrus, Ptolemais.

A Beryto venimus Sidonem, quæ et ipsa ex parte ruit, et adhæret Libano. Homines in ea pessimi. Et illic currit fluvius Asclepius et fons inde surgit. De Sidone venimus Sareptam, quæ civitas modica et valde christiana est, in qua coenaculum est, quod factum fuerat Heliae, et lectus, ubi recubuit, et alveus marmoreus, ubi illa vidua fermentavit. In quo loco multa offeruntur, et virtutes multæ illic fiunt. Exeuntes de Sarepta

venimus in civitatem Tyrum, a Sarepta milliario septimo. Tyrus civitas habet homines potentes: vita pessima, tanta luxuria, quanta dici non potest, gynæcea publica, et olose-sericum et diversa genera telarum. Exinde venimus Ptolemaidem, civitatem honestam, ubi invenimus monasteria bona.

III. Sycaminum, castra Samaritanorum, monasterium Helisæi in monte Carmelo, Porphyriion.

Contra Ptolemaidem, sexto milliario, civitas est, quæ vocatur Sycaminum, sub monte Carmelo, ubi, milliario a Sycamino, sunt castra Samaritanorum, et supra ipsa castra, milliario semis, monasterium Helisæi prophetae, ubi occurrit ei mulier, cujus filium suscitavit. In monte Carmelo invenitur petra modica et rotunda, quæ, quando agitur, sonat, quia solida est. Talis est virtus petræ: si suspensa fuerit mulieri, vel cuicumque animali, jactum numquam faciet. Ad millia sex aut septem civitas Porphyriion.

III. Diocæsarea, Chana.

E Ptolemaïde maritima venimus in fines Galilææ, in civitatem Diocæsaream, in qua prae veneratione adoravimus amulam et canistellum sanctæ Mariæ. In ipso loco erat et cathedra, in qua sedebat, quando ad eam angelus venit. Deinde milliaro tertio venimus in Chanam, ubi ad nuptias fuit Dominus et accubuimus in ipso accubitu, ubi ego indignus parentum meorum nomina scripsi. Hydriæ duæ ibi sunt; unam implevi aqua et protuli ex ea vinum, et in humerum plenam levavi et obtuli ad altare: et in ipso fonte pro benedictione lavimus.

V. Nazareth.

Deinde venimus in civitatem Nazareth, in qua sunt multæ virtutes. Etiam sedet in synagoga tomus, in quo Dominus ABC habuit impositum. In qua etiam synagoga posita est trabs, ubi Dominus cum aliis sedebat infantibus: quæ trabs a christianis agitur

et sublevatur; Judæi vero nullo modo eam agitare possunt, sed nec permittit se foras tolli. Domus sanctæ Mariæ basilica est, et multa ibi sunt beneficia de vestimentis ejus. In civitate vero illa tanta est gratia mulierum hebræarum, ut inter Hebræas pulchriores non inveniantur, et hoc a sancta Maria sibi concessum dicunt; nam et parentem suam etiam dicunt fuisse. Et dum nulla sit caritas Hebræis erga christianos, illæ omnes caritate sunt plenæ. Provincia paradiso similis, in tritico et in frugibus similis Egypto, sed præcellit in vino et oleo, pomis ac melle. Sed et milium est ibi contra naturam altum nimis super statum hominis taleâ grossâ.

VI. Tabor, Napsolia.

De Nazareth venimus in montem Tabor, qui mons exit in medio campestri: terra viva, tenens in circuitu millia sex, in ascensu millia tria, sursum ad unum milliarium planus. In quo sunt tres basilicae, ubi dixit Petrus ad

Jesum: Facianus hic tria tabernacula. In circuitu montis diversæ sunt civitates, quæ in libro regum leguntur. De Tabor venimus ad mare Tiberiadis... in civitatem, quæ alio tempore appellata est Samaria, nunc vero dicitur Neapolis, in qua puteus est, ex quo Dominus a muliere samaritana aquam petiit. Ibiq̃ue facta est basilica in honorem sancti Johannis Baptistæ, et ipse puteus est ante cancellos altaris, et situla ibidem, de qua dicitur Dominus bibisse. Multi aegri ibi veniunt et sanantur.

VII. Tiberias, mare, Capharnaum, Jor et Dan, Jordanis, Gadara, thermæ Heliz, fluvius Gadara.

Deinde venimus in civitatem Tiberiadem, in qua sunt thermæ salsæ; nam aqua maris ipsius dulcis est, quod mare circuit millia octo. Deinde venimus in civitatem Capharnaum, in domum beati Petri, quæ modo est basilica. Inde transeuntes per castra vel vicos aut civitates, venimus ad duos fontes,

hoc est Jor et Dan, qui in unum confluunt et vocantur Jordanis; parvus ingreditur mare, pertransit totum pelagus et exit in alio litore maris. Revertentes venimus in locam, ubi Jordanis egreditur mare, et in ipso loco transivimus Jordanem, et venimus in civitatem, quæ vocatur Gadara, quæ et Gabaaon dicitur. In ista parte, milliario tertio ab urbe, sunt aquæ calidæ, quæ appellantur thermæ Helix, ubi leprosi mundantur. Ibi est et xenodochium. Ad publicas delicias hora vespertina mundantur thermæ. Ante ipsum clibanum aquæ grande est solium, quod, dum impletum fuerit, omnia ostia clauduntur. Et per porticum mittuntur intus infirmi cum luminaribus et incenso, et sedent in illo solio tota nocte, et dum soporati fuerint, vident de illo, qui curandus est, aliquam visionem, et dum eam recitaverit, abstinetur ipsæ thermæ septem diebus, et intra septem dies mundantur. Ibiq̃ue mortuus est Johannes de Placentia, maritus Theclæ. Ipse fluvius calidus, qui Gadara dicitur, descendit

torrens et intrat Jordanem, et ex ipso ampliat^{ur} Jordanis et major fit.

VIII. Scythopolis, Sebaste, Samaritani infesti.

Et tunc descendimus per Galilæam juxta Jordanem, transeuntes multas civitates, quæ leguntur, et venimus in civitatem metropolim Galilææ, quæ vocatur Scythopolis, in monte positam, ubi sanctus Johannes multas operatus est virtutes. Exinde descendimus per aliqua loca Samariæ et Judææ in civitatem Sebastem, in qua requiescit Helisæus propheta. Per campestria, per civitates vel vias Samaritanorum et plateas, quas transivimus, veniebant post nos Judæi paleis vestigia nostra incendentes. Tanta est illis execratio Christi, ut vix christianis quidem responsum faciant, et sunt ratione, ut quod ab illis emere vis, non tangas, antequam pretium des: quodsi tetigeris et non comparaveris, mox scandalizabuntur; nam foris condoman habent positam et in ipsa talem personam, quæ

dat responsum venientibus, nummos autem non accipiunt de manu tua, sed in aquam projicies eos, et denuntiant tibi, quando ingrediaris. Tu vero noli expuere; si enim expueris, scandalizabuntur. Sero autem purificant se in aqua et sic ingrediuntur in vicum aut civitatem.

IX. Locus quinque panum, baptismi dominici, transitus Israelitarum, Hermon, ros medicis serviens.

Deinde venimus in locum, ubi Dominus de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, exceptis parvulis et mulieribus, in extensa camparia habente oliveta et palmeta. Exinde venimus in locum, ubi baptizatus est Dominus. In ipso loco filii Israel transierunt Jordanem, et filii prophetarum perdiderunt securim, et ex ipso loco Helias assumptus est in coelum. Ibi est mons Hermon modicus, qui legitur in psalmo. Ad pedes montis ipsius ascendit de fluvio nubes hora prima oriente sole et venit

Hierosolymam super basilicam, quæ est in Sion, et super basilicam ad monumentum Domini et super basilicam sanctæ Mariæ et sanctæ Sophiæ, quæ fuit prætorium, ubi auditus est Dominus. Super hæc loca descendit ros sicut pluvia. Colligunt eum medici, et in ipso coquunt omnes confectiones pro xenodochiis; nam multi languores sanantur ibi, ubi cadit ipse ros, de quo propheta David canit: Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. In illa parte Jordanis est fons, ubi baptizabat Johannes. Inde usque ad Jordanem millia duo. In ipsa valle inventus est Helias, quando ei corvus deferbat panem et carnes. In circuitu vallis ipsius multitudo eremitarum est.

X. Salamiada, thermæ Moyois, mare Salinarum, Segor, monumentum Absalonis.

Et ibi prope est civitas, quæ vocatur Salamiada, ubi remanserunt duæ semis tribus filiorum Israel, priusquam transirent Jordanem.

In quo loco thermæ sunt, quæ vocantur thermæ Moysis, ubi etiam leprosi mundantur. Et ibi est fons aquam habens dulcissimam, quæ pro catarthico bibitur, et multos sanat languores: non longe a mari Salinarum, in quod Jordanis ingreditur, ad cujus littus bitumen et sulphur colligitur. In quo mari mense Julio et Augusto et usque medium septembrem tota die jacent leprosi; ad vespere autem lavantur in ipsis thermis Moysis et aliquoties, quos vult, Dominus mundat; nam in generalitate est aliqua primitia. In quo mare nihil invenitur vivificatum; nec ligna, nec paleæ ibi natant, neque homo natare potest, sed quidquid in illud projectum fuerit, in profundum demergitur. De Jordane ad locum illum, in quo Moyses de corpore exivit, sunt millia octo: et exinde non multum longe ad Segor, in quibus locis sunt multi eremitæ. Vidimus et ibi monumentum Absalon, filii David.

XI. Jordanis, epiphania.

Tenuimus theophaniam juxta Jordanem, et
 fiunt mirabilia in illa nocte in loco, ubi bap-
 tizatus est Dominus. Est ibi tumulus can-
 cellis circumdatus, et in loco, ubi aqua re-
 diit in alveum suum, posita est crux lignea:
 intus in aqua, et gradus descendunt usque
 ad aquam ex utraque parte ripæ strata mar-
 more. In vigiliis theophaniæ grandes fiunt
 vigilæ: populus infinitus: et gallo quarta aut
 quinta vice canente, fiunt matutinæ. Com-
 pletis matutinis, albescente die, procedunt
 ad sacra mysteria sub divo et tenent ea
 diaconi, descendit sacerdos in fluvium, et
 hora, qua coeperit benedicere aquam, mox
 Jordanis cum magno strepitu post se rever-
 titur et stat aqua, usque dum baptismus per-
 ficiatur. Et omnes Alexandrini, qui naves
 habent, cum hominibus calatos plenos aro-
 matibus et balsamo tenentes, hora, qua sa-
 cerdos benedixerit fontem, antequam in-
 cipiant baptizari, fundunt illos calatos in

fluvium et tollunt inde aquam benedictam, et exinde faciunt aquam aspersionis in navibus suis, antequam exeant ad navigandum. Baptismo completo, omnes descendunt in fluvium pro benedictione, induti sindonibus et aliis multis speciebus, quas sibi ad sepulturam servant. Omnibus perfectis, aqua revertitur in locum suum. Et unde surgit Jordanis a mari Tiberiadis usque ad mare Salinarum, ubi deficit, sunt millia CXXX.

XII. Spelunca puellarum, monasterium s. Johannis.

In ipsa vero ripa Jordanis est spelunca, in qua sunt cellulæ septem cum septem puellis, quæ illuc infantulæ mittuntur, et cum aliqua ex eis mortua fuerit, in ipsa cellula sepelitur, et alia cellula inciditur, et mittitur in eam alia infantula, ut numerus stet. Habent foris, qui eis cibaria parant. In quem locum cum magno timore ingressi sumus ad orationem; nullius ibi faciem vidimus. In ipso loco dicitur esse sudarium, quod fuerat

super caput Jesu. Super Jordanem, non multum longe a Jordane, ubi baptizatus est Dominus, est monasterium sancti Johannis valde magnum, in quo sunt xenodochia duo. In ista vel in illa ripa Jordanis per loca submontana inveniuntur serpentes, de quibus theriaca conficitur. Inde venimus Jericho.

XIII. Jericho, Galgala, campus sacer Domini.

De Jordane usque ad Jericho sunt millia sex. Jericho in oculis omnium videtur ut paradisos. A terræ motu muri diruti. Domus Raab stat, quæ est xenodochium, et ipse cubiculus, in quo exploratores deposuit, et est oratorium sanctæ Mariæ. Lapidēs vero illi, quos levaverunt filii Israel de Jordane, non longe a civitate positi sunt in basilica post altare, et ante basilicam est campus sacer Domini, in quo Dominus manu sua seminavit, serens satum usque ad modios tres, qui etiam bis in anno colligitur, at mense februario, ut exinde in pascha communicetur

Cum collectum fuerit, aratur et iterum cum reliqua messe colligitur. Deinceps aratur.

XIV. Fons Helisæi.

At vero fons aquæ, quam indulcavit Helisæus propheta, irrigat omnem Jericho, ubi nascitur vinum potens, quod febricitantibus datur. Ibi nascuntur dactyli, ex quibus mecum adduxi in provinciam et unum domino Paterio patricio dedi. Ibi nascitur et cedrus de cubitis XL et virga fasiola pedes duos longa. Ibi est et vitis, unde in ascensione Domini plenæ cistæ racemis in monte Oliveti venales sunt, et in pentecoste mustum et exinde calata plena proponuntur.

XV. Arbor Zachæi, Sodoma et Gomorra, statua salis.

Exeuntes de Jericho venimus contra Hierosolimam. Non longe a civitate Jericho est illa arbor, in quam Zachæus ascendit, ut videret Dominum, et intra oratorium inclusa

est, et per tectum desuper sicca videtur. Igitur exeuntes de Jericho, ab oriente contra occidentem venientes, in sinistra manu intravimus favillas Sodomæ et Gomorræ, super quam provinciam descendit semper nubes obscura cum odore sulphureo. Quod vero dicunt de uxore Loth, quod lingendo ab animalibus minuatur, non est verum, sed stat in eo statu, in quo fuit.

XVI. Bahurim, Bethania, mons Oliveti.

Ascendentes per montana Hierosolymorum, non longe ab Jerusalem venimus in Bahurim. Inde revertentes, ad sinistram ad oppida montis Oliveti venimus, in Bethaniam, ad monumentum Lazari. Respicientes valles illas et perambulantes monasteria multa et mirabiliorum loca, vidimus multitudinem inclusorum virorum ac mulierum in monte Oliveti. Et sursum in monte, ubi Dominus ascendit ad patrem, vidimus mirabilia multa et cellulam, ubi clausa fuit vel jacet sancta

Pelagia in corpore, et in ipso monte jacet
 Jacobus Zebedæi et Cleophas et multa corpora sanctorum.

XVII. Vallis Gethsemane sive Josaphat, basilica s. Mariæ,
 Hierosolyma, templum.

Descendentes de monte Oliveti venimus
 in vallem Gethsemane, in locum, ubi traditus est Dominus: in quo sunt tria accubita, in quibus ille accubuit, et nos pro benedictione accubuimus. Et in ipsa valle est basilica sanctæ Mariæ, quam dicunt domum ejus fuisse: in qua monstratur sepulchrum, de quo dicunt sanctam Mariam ad cœlos fuisse sublatam. Ipsa vallis Gethsemane, inter montem Sion et montem Oliveti posita, ibidem vocatur Josaphat. De Gethsemane ascendimus ad portam Hierosolymæ per gradus multos. In dextera parte portæ est olivetum et ficulnea, in qua Judas laqueo se suspendit, cujus talea stat munita petris: porta civitatis, quæ cohæret portæ speciosæ,

quæ fuit templi, cujus liminare et trabulatio stat.

XVIII. Monumentum Domini.

Osculantes proni in terram, ingressi sumus in sanctam civitatem, in qua perreximus adorantes monumentum Domini. Ipsum monumentum, in quo corpus Domini Jesu Christi positum fuit, in naturale excisum est petra. Lucerna ærea, quæ illo tempore ad caput ipsius posita fuit, ibi ardet die noctuque: ex qua benedictionem accepimus, et recomposuimus eam. In quod monumentum de foris terra mittitur, et ingredienti exinde benedictionem tollunt. Lapis, unde clausum fuit monumentum, ante os monumenti est: color viridis petræ, quæ excisa est de petra Golgotha, jam (non dignosci potest, quia) ipsa petra ornata est ex auro et gemmis. Petra vero monumenti veluti molaris est: ornamenta infinita: virgis ferreis pendent brachialia, dextrocheria, murenæ, monilia,

annuli capitulares, cingula gyrata, balthei et coronæ imperatorum ex auro et gemmis, et ornamenta plurima de imperatricibus. Monumentum sic quasi in modum metæ est coopertum ex argento et sub soles aureos ante monumentum altare positum.

XIX. Golgotha.

A monumento usque Golgotham sunt gressus LXXX. Ab una parte ascenditur per gradus, ubi Dominus noster ascendit ad crucifigendum. In loco, ubi crucifixus fuit, paret cruor sanguinis in ipsa petra. In latere est altare Abrahæ, ubi ibat offerre Isaac; ibi et Melchisedec obtulit sacrificium. Ad altarium est crepatura, ubi ponis aurem et audies flumina aquarum, et si jactas malum, pomum aut aliud, quod natare potest, et vadis ad Siloam fontem, et ibi suscipies. Inter Siloam et Golgotham credo esse milliarium. Hierosolyma aquam vivam non habet præter Siloam fontem.

XX. Basilica Constantini, cubiculum cum cruce.

De Golgotha usque ad locum, ubi inventa est crux, sunt gressus L. In basilica Constantini cohærente circa monumentum vel Golgotham, in atrio ipsius basilicæ, est cubiculum, ubi lignum crucis sanctæ positum est, quod adoravimus et osculati sumus; nam et titulum, qui super caput Jesu positus erat, in quo scriptum est: Jesus Nazarenus rex Judæorum, vidi et in manu mea tenui et osculatus sum. Quod lignum crucis de nuce est. Procedente sancta cruce ad adorandum de cubiculo suo et veniente in atrium, ubi adoratur, eadem hora stella apparet in cœlo et venit super locum, ubi crux residet. Et dum adoratur crux, stat supra eam stella, et offertur oleum ad benedicendum ampullis mediis; hora vero, qua tetigerit lignum crucis has ampullas medias, mox ebullit oleum foras, et nisi citius claudantur, totum refunditur foras. Revertente cruce in locum suum,

stella pariter revertitur; post, reclusa cruce, ultra non apparet stella. Etiam ibi est spongia et canna, de quibus legitur in evangelio, de qua spongia aquam bibimus. Ibi est et calyx onychinus, quem benedixit in cœna Dominus, et aliæ multæ virtutes: species beatæ Mariæ in superiori loco et zona ipsius et ligamentum, quo utebatur in capite. Ibi sunt et septem cathedræ marmoreæ seniorum.

XXI. Turris David.

Inde ascendimus in turrin David, ubi psalterium decantavit. Magna est valde, in qua sunt monasteria in coenaculis singulis: quæ turris quadrangula et opus sculptum, non habens tectum. In quam etiam Christiani pro devotione ad mansionem ascendant, et circa mediam noctem surgentes audiunt voces murmurantium deorsum in valle Josaphat contra Jordanem ad loca, quæ respiciunt ad Sodomam et Gomorram.

XXII. Basilica Sion et monasterium.

Deinde venimus in basilicam sancti (montis) Sion, ubi sunt mirabilia multa, inter quæ est, quod legitur de lapide angulare, qui reprobatus est ab ædificantibus. Ingresso Domino Jesu Christo in ipsam ecclesiam, quæ fuit domus sancti Jacobi, invenit lapidem istum deformem in medio jacentem, tenuit eum et posuit in angulum: quem tenes et levas in manibus tuis et ponis aurem in angulo ipso, et sonabit in auribus tuis quasi multorum hominum murmuratio. In ipsa ecclesia est columna, ubi Dominus flagellatus est, in qua columna tale est signum: dum eam quidam amplexus fuisset, pectus ejus adhæsit in ipso marmore, et manus ambæ, et palmæ et digiti in ipsa petra apparent, ita ut inde pro singulis languoribus mensura tollatur, et qui circa collum habent, sanantur. In ipsa columna est cornu illud, de quo reges ungebantur, et David. Ibi est et

corona spinea, qua Dominus fuit coronatus, et lancea, de qua in latere percussus, et lapides multi, cum quibus lapidatus est Stephanus. Ibi est et columna, in qua crux posita fuit beati Petri, qua crucifixus est Romæ. Ibi est et calix apostolorum, in quo, post resurrectionem Domini, missas celebrabant, et multa alia mirabilia, quæ non recolo. Ibi est monasterium puellarum, et ibi vidi caput hominis inclusum in loculo aureo, ornato gemmis, quod dicunt esse martyre Theodotæ, in qua multi aquam pro benedictione bibunt et ego bibi.

XXIII. Basilica s. Mariæ, magnum xenodochium, basilica s. Sophiæ seu prætorium, aquæ decursus ad Sîoam.

De Sion venimus in basilicam sanctæ Mariæ, ubi est congregatio magna monachorum, ubi sunt et xenodochia virorum ac mulierum: susceptus peregrinus sum: mensæ innumerabiles, lecti ægrotorum sunt amplius tria millia. Et oravimus in prætorio, ubi auditus

est Dominus, et modo est basilica sanctæ Sophiæ. Ante ruinas templi Salomonis, sub platea aqua decurrit ad fontem Siloam. Secus porticum Salomonis, in ipsa basilica est sedes, in qua sedit Pilatus, quando Dominum audivit; petra autem ibi est quadrangula, quæ stabat in medio prætorio: in quam reus levabatur, qui audiebatur, ut ab omni populo audiretur et videretur. In eam levatus est Dominus, quando auditus est a Pilato, ubi etiam vestigia illius remanserunt: pedem pulchrum, modicum, subtilem, staturam communem, faciem pulchram, capillos subnervatos, manum formosam, digitos longos imago designat, quæ, illo vivente, picta et posita est in ipso prætorio. Etiam de petra illa, ubi stetit, multæ fiunt virtutes: tollentes de ipsius vestigiis pedum mensuram, ligant pro singulis languoribus et sanantur. Et ipsa petra ornata est et auro et argento.

XXIV. Porta antiqua, locus Jeremiz, Siloe, piscina, Cedron.

Exinde venimus ad arcum, ubi antiqua porta fuit civitatis. In ipso loco sunt aquæ putridæ, in quas missus est Jeremias. Ab arcu illo descendentes ad fontem Siloam per gradus multos, vidimus basilicam volubilem, subtus de qua surgit Siloe: quæ habet solia duo ex marmore manu hominis facta: inter solium et solium clausura cancellorum: in uno pro benedictione lavantur viri et in alio mulieres. In quibus aquis multæ virtutes ostenduntur, imo et leprosi mundantur. Ante atrium est piscina grandis manu hominis munita, in qua populus lavatur assidue; nam solis certis horis fons ipse irrigat aquas multas, quæ descendunt per vallem Gethsemane, quæ et Josaphat vocatur, usque ad Jordanem, et ingrediuntur in Jordanem in loco, ubi deficit in mare Salinarum subtus Sodomam et Gomorram.

XXV. Basilica s. Stephani, columna flagellationis.

Fons Siloa modo intra civitatem inclusus
 est, quia Eudocia, imperatrix ipsa, addidit
 muros in civitate, et ipsa munivit basilicam
 et sepulchrum sancti Stephani, et ipsa suum
 habet sepulchrum juxta sepulchrum sancti
 Stephani: inter sepulchra sunt gressus VI.
 Et ipse sanctus Stephanus requiescit foris
 portam sagittæ jactu, ad viam, et illa porta
 ex nomine ipsius vocatur, et est ad viam,
 quæ respicit ad occidentem, quæ descendit
 ad Joppem et Cæsaream Palæstinæ vel Dios-
 polim civitatem, quæ antiquitus dicebatur
 Azôtus: in qua requiescit sanctus Georgius
 martyr. In ipsa media via, non multum
 longe a civitate, stat columna marmorea,
 ad quam Dominus prius ducebatur ad fla-
 gellandum: quæ fugiens levata a nube et
 posita est in ipso loco. Et in tantum cog-
 noscitur verum esse, quia non basim habet,
 ubi debet esse fundata, sed sic stat super

terram et agitur: in cuius summitate crux ferrea posita est, et per scalam ascenditur, et fiunt ibi luminaria et incensum. In quo loco dæmoniaci mundantur.

XXVI. Naceldama.

Exeuntes a Siloa, venimus in agrum, qui comparatus est pretio sanguinis Domini: qui vocatur Acheldemac, hoc est ager sanguinis, in quo omnes peregrini sepeliuntur. Inter
 10 ipsa sepulchra sunt cellulæ servorum Dei, ubi fiunt multæ virtutes, et per loca inter monumenta sunt vineæ et pomeria.

XXVII. Piscina natatoria, alia basilica s. Mariæ, s. Isitius.

Revertentes in civitatem, venimus ad piscinam natatoriam, quæ quinque porticus
 15 habet, et in una earum est basilica sanctæ Mariæ, in qua fiunt multæ virtutes. Ipsa vero piscina modo redacta est in stercore, et ibi lavantur omnia, quæ sunt necessaria in ci-

vitae. Vidimus et in uno angulo tenebroso catenam ferream, qua se laqueaverat infelix Judas. Item exeuntes a porta majore, venimus ad sanctum Isitium, qui ibidem in corpore jacet: ubi etiam erogantur pauperibus et peregrinis panes, quos deputavit beata Helena.

XXVIII. Sepulchrum Rachel, Rama, fons b. Mariae.

Via, quæ ducit Bethlehem, milliario tertio a Hierusalem, jacet Rachel in corpore in fine loci, qui vocatur Rama. In ipso loco vidi, in media via, de petra exire aquam, ad arbitratum usque ad sextarios VI, unde omnes complent ad satietatem bibendi, et neque minuitur, neque augetur, et est suavis ad potandum: dicunt eo, quod beata Maria fugiens in Ægyptum in ipso loco sedit et sitiuit, et sic egressa esset ipsa aqua. Ibi modo ecclesia constructa est.

XXIX. Bethlehem, ad S. Davidem.

Inde usque Bethlehem milliaria tria. Et Bethlehem est locus splendidus: servi Dei multi. Ibi est spelunca, ubi natus est Dominus: in qua est præsepe ex auro et argento ornatum, et die noctuque luminaria ibi fiunt. Os vero speluncæ ad ingredendum angustum omnino. Hieronymus presbyter in ipso ore speluncæ ipsam petram sculpsit et monumentum sibi fecit, ubi et positus est. Continuo medium milliarium a Bethlehem, in suburbio, David jacet in corpore, simul et Salomon, filius ejus: duo monumenta ad sanctum Davidem appellantur; sed et infantes, quos occidit Herodes, in ipso loco habent monumentum, et omnes in uno requiescunt, et aperiuntur et videntur eorum ossa. Ante Bethlehem est monasterium muro cinctum, in quo est multitudo monachorum congregata.

XXX. Hebron.

De Bethlehẽm ad ilicẽm Mambræ sunt millia XXIII. In quo loco jacent Abraham et Isaac et Jacob et Sara, simul et ossa Joseph. Est ibi basilica ædificata in quadriporticus; atrium in medio discoopertum: et per medium discurrit cancellus, et ex uno latere intrant christiani, ex alio Judæi, incensa facientes multa. Depositio Jacobi in terra illa die primo post natalem Domini devotissime ab omnibus celebratur, ita ut ex omni terra Judæorum conveniat innumerabilis multitudo incensa ferens multa vel luminaria, et munera dans ad servientes ibidem.

XXXI. Mons Gelboe, locus occisionis Goliathi et obitus Saulis.

Iterum revertentes in Jerusalem, descendimus in viam, quæ vadit Gazam et Ascalonem. Milliario vigesimo de Hierusalem venimus in montem Gelboe, ubi occidit David

Goliam, ubi et mortuus est Saul et filius ejus Jonathas. Jacet et ibi Goliath in media via, ad caput habens acervum lignorum ingentem et super eum congeriem petrarum, ita ut ad millia XX non possis invenire lapidem, quem movere possis, quia usus est talis: quis illuc transierit, ternos secum defert lapides et eos projicit super ipsam tumulum. Sic et nos similiter fecimus. In ipsis montibus nunquam pluuit, et nocturnis horis secreto videntur volvi immundi spiritus tanquam vellera lanæ vel certæ undæ maris.

XXXII. Eleutheropolis, locus occisionis s. Zachariæ, quercus Regel,
locus messorum Abacuc, fons Philippi.

Deinde deviantes ad latus, venimus in civitatem, quæ dicitur Eleutheropolis, in locum, ubi Sanson cum maxilla asini mille occidit homines, ex qua aqua profluxit. Qui fons usque in hodiernum diem irrigat ipsa loca; nam et in loco, ubi surgit, fuimus.

Deinde venimus in locum, ubi Zacharias

occisus est et jacet in corpore. Est ibi ecclesia ornata; sunt ibi Dei servi multi. Inde venimus ad locum, ubi Izaïas propheta a serra secatus est et jacet sub quercu Rogel juxta aquarum decursum, quæ serra in testimonium posita est ad sanctum Zachariam. Deinde venimus ad locum, ubi Abacuc prandium portavit messoribus. Ibi est fons, ubi Philippus baptizavit eunuchum. In quibus locis sunt putei, quos foderunt Abraham et Jacob, et appellaverunt calumniam.

XXXIII. Ascalon, Majumæ, Gaza, S. Hilarion.

Inde egressi venimus Ascalonem. Ibi est puteus pacis in modum theatri factus, in quo usque ad aquam per gradus descenditur. Ibi requiescunt tres fratres martyres ægyptii, propria quidem habent nomina, sed vulgariter Ægyptii vocantur. Milliario a civitate (est) Saraphia et in proximo civitatis Majuma Ascalonis. Inde venimus ad civitatem Majumam Gazæ, in qua requiescit sanctus Victor martyr. De

Majuma usque Gazam est milliarium unum. Gaza autem civitas est splendida, delitiosa, homines in ea honestissimi, omni liberalitate decori, amatores peregrinorum. Inde milliario secundo requiescit sanctus Hilarion.

XXXIV. Ailah, monasteria circa mare Salinarum.

Deinde venimus in civitatem Ailah in capite eremi, quæ vadit ad montem Sinai: in qua etiam ex revelatione episcopi ipsius civitatis eo audivimus miraculum, quod silere non oportet. Puella quædam nobilis, nomine Maria, cum nupta fuisset, ipsa nocte nuptus sui sponsus ejus mortuus est. Ipsa hanc rem patienter portavit et intra septimanam omnia 15 sua erogavit pauperibus vel monasteriis. Celebrato die septimo, vestimento sponsi sublato, inventa non est. De qua dictum est nobis, quod esset in eremo trans Jordanem inter calameta et palmeta, in finibus Segor 20 circa mare Salinarum, in quibus locis invenimus monasteria puellarum XV vel XVIII,

quas christiani pabulabant. Quæ habebant
 unum asellum, qui eis cibaria deportabat,
 et nutriebant leonem terribilem ad viden-
 dum. Cumque appropinquassemus cellulæ,
 a rugitu illius omnia animalia, quæ habui-
 mus, minxerunt et in terram corruerunt. Et
 dixerunt nobis, quod ipsum asellum leo gu-
 bernaret in pascuis, quem offerebant nobis
 pro centum solidis; ille christianissimus, cum
 quo fui, accipere noluit, sed misit Hieroso-
 lymam cito, et adduxit iis tunicas tricen-
 as et ad cellarium legumina et oleum ad lu-
 minaria. Et ipsæ nobis dixerunt de virtutibus
 Mariæ, quæ ambulaverat in eremo sola, por-
 tans leguminibus sportellas plenas vel tu-
 nicas, quas cupiebant ei adferre; sed nullus
 eam invenire potuit. Attamen de iis, quæ
 secum duxerat, nihil reportavit revertens de
 eremo. Cujus afflictio vel ploratus nulla ra-
 tione consolari poterat, sed tantum sæpius
 flens dicebat: Væ mihi miseræ, cujus causa
 me christianam dico?

XXXV. *Xenodochium s. Georgii, homines rari.*

Proficiscentes de civitate Elath intravimus eremum. Milliario vigesimo est ibi castrum, ubi est xenodochium sancti Georgii, in quo habent refugium transeuntes vel eremitæ stipendia. Transeuntes inde in interiorem eremum, venimus ad locum, de quo dicitur in psalmo: Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea. Ibi vidimus homines raros cum camelis fugientes nos, et in Hierosolyma vidimus homines ex parte Æthiopiæ calliculis calceatos, habentes fissas nares et aures, et per digitos et pedes annulos missos. Interrogavimus: Quare sic? Dixerunt: Quia Trajanus, imperator romanus, signum hoc nobis reliquit.

XXXVI. *Eremus.*

Ambulantes per eremum dies sex, camelis nobis aquam portantibus, sextarium manē et

sextarium vespere quotidie per hominem accipiebamus; amarscente aqua in utris pelle, mittebamus in eam arenam, et indulcabatur. Familiæ autem Saracenorum vel uxores eorum, venientes de eremo et ad viam sedentes in lamentatione et sarcinis depositis, petebant panem a transeuntibus: et veniebant viri earum, adducebant utres cum aqua frigida de interiori parte eremi et dabant, et accipiebant sibi panes, et adducebant restes cum radicibus, quarum odor erat suavissimus super omnia aromata, nihil licentes, quia anathema habebant et dies festos celebrabant. Populus autem, qui per ipsam majorem eremum ingrediebatur, numero XII millia.

XXXVII. Oreb et Sina.

Perambulantes eremum, octava die venimus ad locum, ubi Moyses de petra eduxit aquam, et exinde venimus ad montem Dei Oreb, et inde moventes, ut ascenderemus

montem Sina. Ecce multitudo monachorum et eremitarum. Cum crucibus psallentes obviaverunt nobis et prostrati in terram adoraverunt nos. Simili modo et nos facientes lacrimavimus. Tunc introduxerunt nos in vallem inter Oreb et Sina, ad cujus montis pedem est fons ille, ubi Moyses adaquabat oves, quando vidit rubum ardentem, qui fons inclusus est intra monasterium, quod monasterium circumdatur muris: in quo sunt tres abbates scientes linguas, hoc est, latinam, græcam, syram et ægyptiam et persam, vel multi interpretes singularum linguarum. In quo sunt conditæ monachorum. Et ascendimus in monte continuo millia tria, et venimus ad locum speluncæ, ubi absconditus fuit Helias, quando fugit ante Jezabel. Ante ipsam speluncam surgit fons, qui irrigat montem. Inde ascendimus millia continuo tria in summum montis cacumen, in quo est oratorium modicum habens plus minus pedes sex in longitudine et latitudine. In quo nullus manere præsumitur; sed orto jam die, ascen-

dunt monachi et faciunt opus Dei. In quo loco multi pro devotione tondunt capillos suos et barbam et jactant, ubi et ego tetigi et totondi barbam meam.

§ XXXVIII. Sina et Oreb, festum Saracenorum.

Mons Sina petrosus est, raro habens terram: in quo per circuitum cellulæ multorum servorum Dei; similiter et in Oreb. Et dicunt esse Oreb terram mundam. In parte ipsius montis habent Saraceni idolum suum positum marmoreum, candidum tamquam nivem. Ibi etiam permanet sacerdos eorum indutus dalmatica et pallio lineo. Quando venit tempus festivitatis ipsorum, præcurrente luna, antequam ægre dicitur luna ad festum illorum, incipit marmor illud mutare colorem; mox luna introierit, quando cœperint adorare idolum, fit marmor illud sicut pix. Completo tempore festivitatis, revertitur in pristinum colorem, unde omnino omnes mirati sumus.

XXXIX. *Manna, ferz.*

Inter Sina et Oreb est vallis, in qua certis temporibus descendit ros de cœlo, quem mannam appellant, et coagulatur et fit tanquam granum mastices, et colligitur et dolia inde plena habent in monte, unde pro benedictione dant ampullulas modicas; nam et nobis dederunt sextarios quinque. Ex quo etiam pro condito bibunt, et nobis dederunt et bibimus. Et in ipsis montibus leo et pardus, capreæ et burdones et onagri simul pascunt, nullusque eorum a leone læditur propter eremi vastitatem. Et quia jam se complebant dies festi Saracenorum, præce-
 exiit, ut nullus subsisteret per eremum, per quam ingressi sumus: alii per Ægyptum, alii per Arabiam reversi sunt in sanctam civitatem.

XL. Abila, Phara.

De monte Sina in Arabiæ civitatem, quæ dicitur Abila, sunt mansiones octo. In Abila autem descendunt naves de India cum diversis aromatibus. Nobis autem visum est per Ægyptum reverti. Venimus itaque in Pharam civitatem, in qua pugnavit Moyses cum Amalech, ubi est oratorium, cujus altare positum est super lapides illos, quos subposuerunt Moyse orante. In ipso loco est civitas munita muris e lateribus, et locus valde sterilis præter aquas. Ibi occurrunt nobis mulieres cum infantibus, palmas in manibus portantes et ampullas cum rosaceo oleo; prostratæ pedibus nostris plantas nostras ungebant et capita nostra, lingua ægyptiaca psallentes antiphonam: Benedicti vos a Domino benedictusque adventus vester, Hosanna in excelsis. Ipsa terra est Madianitarum et habitantes in ipsa civitate: dicitur, quia ex familia Jethro, soceri Moysis,

descendunt. LXXX condomæ militantes in publico cum uxoribus suis erant, annonam et vestes accipientes ex Ægypto, (et) nullum laborem habentes, quia nec habent, ubi (solum colant), eo quod totum arenis (constat); et præter singulos dies habent singulas equas saracenas, (per) capita paleas et hordeum de publico accipientes (et) discurrentes cum ipsis per eremum pro custodia monasteriorum et heremitarum propter insidias Saracenorum. Ante quorum timorem non exagitantur Saraceni; nam exeuntes de ipsa civitate, fontem illi serrant et claves tollunt secum. Et illi quidem ab intus similiter faciunt propter insidias Saracenorum, quia nec habent, ubi exeant foris, præter cœlum et arenam.

XLI. Magdolum, Sochet, Him, Sarandela, Clysma.

Exinde venimus Magdolum et Sochet et ad locum, ubi sunt LXX palmæ et XII fontes, et applicavimus ibi duos dies, fatigati post tantos labores atque eremi vastitatem. In

quo loco est castellum modicum, quod vocatur Surandela, et nihil habet intus præter ecclesiam cum presbytero suo et duo xenodochia propter transeuntes. In quo loco arborem piperis vidi et in ipsa collegi. Exinde venimus ad locum, ubi filii Israel transeuntes mare Rubrum castra metati sunt, et illic similiter (est) castellum modicum cum xenodochio. Et inde venimus ad locum, ad ripam, ubi transierunt filii Israel et exierunt de mare. Ibi est oratorium Moysis, ibi est et civitas modica, quæ appellatur Clysma, ubi etiam naves de India veniunt. Quo maris loco, ubi transierunt, culfus exit de pelago majori et extenditur intus in multis millibus, quia accessum recessumque habet; recedente mari omnis præfiguratio armæ pharaonis vel vestigia rotarum curruum parent, sed et omnia arma in marmor conversa videntur. Illic accepimus nuces plenas virides, quæ de India venerunt, quas de paradiso credunt esse homines; cujus gratia talis est: quancumque ex iis gustaverint, satiantur.

XLII. Insula cum oleo petrina.

Intus autem in ipso pelago ad millia XI est insula modica, in qua est petra viva. In qua pendent digiti molles ut carnei in modum dactylorum, qui fundunt unguentum, quod oleum petrinum appellant, et pro grande benedictione colligitur. Vas, in quo portatur, impletum si fuerit et volueris reiterare ad tollendum, jam non id recipit, nec tenet.

In quo loco quanticunque ægroti, maxime dæmoniacy, pertingere potuerint, salvantur. Quod tollentibus pro benedictione non tunc permittitur iterum introire per Clyisma, antequam misceatur cum oleo; nam si non adulteraretur, credo, quia semper ipsam virtutem faceret: nam liquor ipsius unguenti tenet continuo per duo millia odorem quemdam sulphureum. Qualis vis enim tempestas sit maris, tanquam in stagno infra littus illic stat. Infra civitatem ipsam Clyisma, intus in basilica vidimus loculos ligneos sanctorum patrum eremitarum ultra XVIII.

XLIII. Syracumba, Nilar, Babylonia, Memphis, Antinoe,

Exinde venimus per eremum ad speluncam beati Pauli, quæ vocatur Syracumba, ad fontem, qui usque hactenus totum locum ipsum irrigat. Deinde iterum per eremum pergentes, venimus ad cataractas Nili, ubi aqua ascendit ad signum, monitionem manu hominis factam, et habet gradus XII. In proxima cataracta ex utraque parte Nili sunt duæ civitates, quas ædificasse dicunt filias Loth: una earum Babylonia dicitur. Tunc venimus per campos taneos in Memphis civitatem et in Antinoen, in qua residebat pharao, ex quibus et filii Israel exierunt. In ipsis locis sunt horrea XII Joseph plena.

XLIV. Iterum Memphis.

In Memphi fuit templum, quod modo est ecclesia: cujus una porta se clausit ante Dominum nostrum, quando cum beata Maria illic fuit, et usque hactenus non potest ape-

riri. Ibi vidimus palleum lineum, in quo est effigies salvatoris, quem dicunt tersisse faciem suam in eo et remansisse ibi ejus imaginem, quæ imago singulis temporibus adoratur, et nos eam adoravimus; sed propter splendorem non potuimus in eam intendere, quia, quantum in ipsam effigiem intendis, immutatur in oculis tuis.

XLV. Athlibis, Alexandria.

Descendentes per Ægyptum, venimus in civitatem Athlibim et perambulavimus usque ad sanctum Menatem, qui multas virtutes ibi operatur. Inde descendentes, in naviculis per stagnum venimus Alexandriam. In ipso stagno vidimus multitudinem crocodillorum. Alexandria est civitas splendida, populus levissimus, sed amator peregrinorem. Hæreses ibi multæ sunt. Ibi requiescit sanctus Athanasius, sanctus Faustus et sanctus Epimachus et sanctus Antonius sanctusque Marcus et alia multa sanctorum corpora.

XLVI. Hierosolyma, Joppe, Cæsarea Palæstinæ, Damascus, vicus
Rectus, Heliopolis, Emesa, Larissa, Arethusa, Epiphania, Apamia.

Iterum venimus Hierosolymam, ubi ægrotus mansi per multum tempus, evidenter collatu fidei. Tum vidi per visionem beatum Antonium et beatam Euphemiam: quomodo venerit, sanavit me. Egressus de Hierosolyma descendi in Joppen, ubi requiescit sancta Tabitha, quæ et Dorcas dicitur. Deinde veni Cæsaream Philippi, quæ turris Stratonis, quæ et Cæsarea Palæstinæ vocatur, in qua requiescit sanctus Pamphilus et sanctus Procopius sanctusque Cornelius, ex cujus lecto benedictionem tulimus. Inde per Galilæam ascendimus, et venimus Damascum. Ibi est monasterium ad milliarium secundum, ubi sanctus Paulus conversus est in vico, qui vocatur Rectus, in quo loco multæ fiunt virtutes. Deinde venimus Heliopolim et exinde Emesam, ubi est caput Johannis Baptistæ in dolio vitreo et oculis nostris ibi ipsum intus vidimus et adoravimus. Exinde

transeuntes per civitates Larissam, Arethusam et Epiphaniam, venimus in civitatem splendidissimam Apamiam, in qua est omnis nobilitas Syrorum.

XLVII. Antiochia, Chalcia, Carrha, Barbarissus, Suram, Tetrapyrgia.

Inde exeuntes venimus Antiochiam majorem, in qua requiescit sanctus Babylas et tres parvuli, sancta Justina et sanctus Julianus, et tres monachi ibi habent sepulchra, supra quæ scriptæ sunt passionες eorum. Et inde descendimus Mesopotamiam in civitatem Chalcidem. Deinde venimus Carrham, ubi natus est Abraham, et descendentes venimus in civitatem Barbarissum, ubi requiescit sanctus Bacchus, frater sancti Sergii. Inde venimus in civitatem Suram, per quam mediam descendit fluvius Euphrates, qui ibidem per pontem transitur. In ipsa civitate passi sunt sanctus Sergius et sanctus Bacchus, et ad duodecim millia intus in eremo inter Sarcenos requiescit sanctus Sergius in civitate Tetrapyrgia.

XLVIII. Reditus in patriam.

Tanta videntes loca miraculis plena per
multas civitates et castella et vicos et villas
et plateas, fatigati ex tam longo itinere cœ-
pimus reverti: transeuntes mare venimus in
Italiam, propriam regionem, adjuvante Do-
mino nostro Jesu Christo. Ovantes venimus
Placentiam, civitatem nostram.



zusuqu' iiii

Einführung des autors.

Wer war der autor? Ein Italiener aus Piacenza. Man vernimmt nicht nur, dass Antoninus mit einem andern, den er genossen (collega) deswegen nannte, weil er von Piacenza mit abreiste (I), sondern auch im weitem (VII), dass sein reisegefährte Johannes von Piacenza, Theklas gatte, jenseit des Jordans in Gadara gestorben, und dass er, wie es im letzten, freilich höchst wahrscheinlich apokryphischen, auch wegen der mehrzahl: venimus etwas anstössigen stücke (XI.VIII) heisst, nach Piacenza zurückgekehrt sei. Wenn man nach allen handschriften, die im werthe am geringsten anzuschlagende Dorniker und Römer ausgenommen, die ansicht festhält, dass nur zwei von Piacenza den pilgerstab ergriffen, und dass einer der pilgrime mit tode abging, so erscheint der name Antoninus Martyr, den man an der stirne der schrift liest, als derjenige des verfassers. Es wird nun aber zur

